



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118472

§. 51. Miser Gallorum status in Italia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

Sæcul. XVI.
A.C. 1521.

S. LI.

*Miser Gallorum status in
Italia.*

Gnic. l. 14.
Mem. du
Bellai l. 1.

Minus prospera Gallis aspirabat Fortuna in Italia; quippe ibidem tam male Regis æraria administrabantur, ut militibus stipendia vix unquam solverentur, unde soluta militari disciplina, Mediolanenses pristinum, quo aliquamdiu in Gallos ferebantur, affectum exuentes, implacabili prorsus odio eos infectabantur. Jam tunc adversus civibus inerat animus, cum Lautrecus in Gallias abiisset, unicam Orvali Filiam ex asse hæredem sibi desponsaturus, Telinius tamen Rutenensis Senescallus, qui Trimollio absente Mediolani Gubernator erat, morum lenitate, ac humanitate sua incolarum animos rursus Gallis conciliabat: verum brevi officio suo movebatur, sollicitante Castri Brientii Comitissa, quæ turpibus Regis amplexibus assueta Lescunum Lautreci fratrem, qui alias Fuxius Marescallus dicebatur, in Telinii locum mitti procurabat. Ast novus ille Gubernator a Telinii modestia admodum alienus brevi omnium vilipensionem incurrebat, nam ob ingentem suam arrogantiam a Nobilibus passim contemptui habebatur,
huic

huic accessit immodicus ejusdem luxus, cui, ut liberalius majorique cum splendore indulgere posset, ob levia etiam crimina opulentarum quarundam familiarum bona fisco addixit; quapropter singulis ferme diebus quidam in vincula conjici, alii exilio multari, alii ob minimas quasque suspiciones bonis suis proscribi cernebantur. Hos inter Hieronymus quoque Moronus Mediolanensis Cancellarius, cum Gallis suspectus esset, ex urbe pulsus, in urbem Tridentinam Cæsaris dominio obnoxiam ad Franciscum Sfortiam sese recipere cogebatur.

saecul. XVI.

A.C. 1521.

§. LII.

*Moronus Cancellarius Mediolanensium
exulum Dux.*

Moronus, ut armorum potentia sibi reditum in patriam suam pararet, sollicitante summo Pontifice, & Carolo Cæsare Mediolanensium exulum, quorum ingens erat numerus, caput sese constituit. Nec oblatum sibi munus respuit Moronus, Leoni X. exponens, quod Gallos ex Italia pellendi medium magis expeditum haud suppeteret, quam si illi uno eodemque tempore in Mediolanensi, simulque in Genuensi ditone infestis armis obruerentur. Placuit

Guic. lib. 14.